

§. CVIII.

Espenio judice.

Ex his evidenter sequitur, verba sunt Espenii (1), exemptionem clericorum à jurisdictione laica::: non è jure naturali vel divino, neque ex ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum et Principum legibus profluere, et de ea statuendum ac judicandum. Unde nec de hac exemptione valet auctoritas decretalium, sive jus commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso vel tacito Principum consensu :::: Si igitur Principes intelligent exemptionem, qua hactenus gavisi sunt clerici, politico et recto Reipublicæ regimini plurimum officere::: quidni possint, et subinde teneantur pro temporum et rerum circumstantiis hæc exemptionum privilegia sua auctoritate limitare atque circumscribere? exemplo veterum Imperatorum ac Regum, quorum receptæ olim constitutiones ac piissimo cuique Antistiti probatæ leges hunc nobis certe præstare usum possunt, ut judicare ex iis liceat, quæ quantumve Regibus, salva dignitate sacerdotii, circa politiam ecclesiasticam potestas competit.

SCHOL. Quod de limitanda cleri immunitate post Espenium monui, id ne quis vertat in calumniam, de immunitate ecclesiastica intelligi volo, non de illa qua clerus Hungariæ æqua cum nobilibus conditione fruatur, de qua hoc mihi loco sermo non est. Ceterum de toto hoc immunitatis argumento unus instar omnium esse potest Lochsteinus in egregio prorsus opere Germanice scripto, cui titulus: *Fundamenta pro et contra ecclesiasticam immunitatem in re temporali.* Adde ejusdem *Responsa ad interrogations circa ecclesiasticam immunitatem.*

(1) *Jur. eccles. univ. part. 3. tit. 3. cap. 2. §. 4. 12.*

CAPUT II.

DE POTESTATE PRINCIPUM

CHRISTIANORUM CIRCA SACRA GENERATIM.

§. CIX.

Hoc jus quidam prorsus negant.

De potestate Principum Christianorum circa sacra varia est ac multiplex disceptatio. Quorumdam adeo delicata religio est, ut vel ipsum nomen ferant iniquius: jus circa sacra confundentes cum potestate ecclesiastica. Quo errore evenit, ut quidquid ejus juris Principibus vindicat intelligentior pars interpretum, id totum de potestate Ecclesiæ detrahi, et credant ipsi, et aliis conentur omni studio persuadere. Quod quidem omnino falsum est: differunt enim hæc duo toto genere. Quæ qui non discernunt, parum abest, quin de violata Christi religione arguant Principes etiam pietate minime simulata commendabiles, qui, quod ignorare non possent, quantum ad vitæ etiam civilis stabilem felicitatem intersit, pios esse subditos ac virtutis religionisque non fucatae studiosos cultores, hanc imperatorii muneris sui curam præcipuam reputabant, nihil prætermittere, quod ad veræ pietatis cultum inter suos promovendum removendaque virtutis impedimenta pertinere posset. Hæc mens Constantini M. fuit, cuius exstat epistola apud Eusebium (1) post Nicænam synodum scripta, qua egregium promovendæ religionis studium testatus est: hæc Theodosii, hæc Marciani, hæc Justiniani, cuius permultæ supersunt in codice ac novellis de sacris rebus editæ constitutiones. Idemque porro semper piorum Regum in colenda tuendaque religione studium fuit: quæ

(1) *Lib. 3. de vita Const. cap. 17. seqq.*

etsi per se satis valida; si civilibus præterea muniatur legibus, amplior et solidior esse consuevit, ut sanctus Rex noster Stephanus in præfatione decreti significare velle videtur. Hoc sensu Leonem M. intelligo ita ajetem: *Res autem humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.*

SCHOL. Conf. Moser in diss. de offic. Princip. circa religionem subditorum, et Schmidt in diss. de efficacia religionis in promovenda socialitate.

§. CX.

Contra Patrum traditionem.

Ob eam causam in epistola ad Leonem Aug. scribit: *Debes, Imperator, incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam* (1). Quæ sancti quoque Isidori Hispalensis Episcopi piissimi juxta et doctissimi sententia fuit: *Principes, inquit, sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eam potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessarie non essent, nisi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impletat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum celeste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt.* Nam

(1) Léo M. epist. 156, edit. Balleriniorum, alias 75. (1)

sive augatur pax et discipline Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam creditit. Caus. 23. quæst. 5. can. 20.

§. CXI.

Augustino cum primis sæpe probatam.

Quo loco non obscure refellitur opinio eorum, qui de sola Ecclesiæ defensione ac præsidio citra ullam aliam de rebus sacris statuendi potestatem veteres Patres interpretantur: neque enim defensio, cuius illi meminerunt, eo spectat tantum, ut Ecclesiam ab externa vi securam præstent, sed huc etiam cum primis, ne domesticis vitiis corrupta à pristinis moribus et sincera majorum pietate uspiam deflectat. In hoc, ait Augustinus (1), Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jabeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem. Et alibi (2): Quomodo ergo Reges Domino serviant in timore, nisi ea, quæ contra justa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est: aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit leges justa præcipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias lucos ac templa idolorum, et illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerunt constructa, destruendo. Sicut servivit Josias talia et ipse faciendo: In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea fa-

(1) Lib. 3. contr. Cresc. cap. 51. (2) In epist. 185. alias 50. ad Bonifacium, cap. 5.

(3) (4) (5)

ciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.

SCHOL. Exemplo Josiæ usus quoque est Carolus M. in præfatione Capitularis Aquisgranensis ann. 789. Sed et aliqua, inquit, capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne quis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studuimus, sed magis benevolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo S. Josias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare: non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda.

§. CXII.

Variæ Protestantium sententiæ.

In hac tanta antiquitatis totius consensione, non caret temeritate negare velle potestatem, quam præterea tam ratio recta commendat, quam Deus ipse disertissimis oraculis comprobavit (1). De causa vero potestatis deque limitibus ejusque amplitudine dum queritur, incredibile dictu est, quam sint multæ quamque discrepantes inter se doctissimorum virorum sententiæ. Hobbes, dempto hoc uno, Jesum esse Christum Dei, cetera omnia credendi capita negat esse fidei, sed obedientiæ (2). Utr. Huberus interna religionis christianæ ab imperio civili libera pronuntiat, externa omnia eidem subjicit; ea nimis, ut Floëckius interpretatus est (3), quæ divino jure determinata non sunt: qualia quum

(1) *Isai. XLIX. 23. LX. 10. II. Reg. VII. 12. 13.*

(2) *Huber. de jur. civit. lib. I. sect. 5. cap. I.*

(3) *Prænot. jur. eccles. §. 12.*

sint, Thomassii quidem judicio, admodum pauca (1); facili collectione intelligi potest, quam late huic viro, à quo nihil prope dissentit Bohmerus (2), jura Principum circa sacra pateant. Harum sententiarum nulla est, quam vel ipsi hodie Protestantes probent, ut actum agant, qui his refellendis operam impendunt.

SCHOL. Hobbesium confutabat Huberus; et, qui hobbesianum se nuper professus est, Rousseauum clar. Scheidemantel. Floëckio respondit Keuffel. Thomassi et Bohmeri sistema data opera Kippingius convellere studuit, nec, ut ego judico, infeliciter.

§. CXIII.

Doctrina Pfaffii.

Abit in multis à superiorum doctrina systema recentiorum, cuius ferunt auctorem Matthæum Pfaffium Tubingensem olim theologum celebrem. Ejus sunt hæc præcipua capita: Ecclesiam esse societatem in civitate erectam, eoque finem confœderatam, ut cultum divinum ad præcepta Jesu Christi, qui primus hanc societatem instituit, suisque juribus ornavit, agat. Habere imperantes ut in alia omnia in civitate erecta collegia, ita etiam in hac religiosam societatem supremam inspectionem; partim ne quid in iis agatur, quod saluti civitatis adversum esse possit, partim ut, quæ pro libertate subditis competente sic eriguntur, collegia et societates ab omnibus injuriis et insultibus defendantur, et juribus suis atque libertatibus, quas jure vel divino vel humano habent, uti et frui sine turbatione possint. Ex hoc generali supremæ inspectionis officio emergere jura sacrorum, jura in Ecclesiam, absoluta illa et generalia, quæ vocantur, magistratui politico

(1) *Diss. de jur. princ. circ. adiaphora.*

(2) *De extraord. prim. eccles. statu §. 20.*

competentia. Quum autem nulla sit in civitate societas, quæ sua sibi jura non servet, suas sibi ipsi leges ordinemque ex pacto, conventione et confœderatione mutua non scribat, et his legibus vivere ab imperante non permittatur; ita Ecclesiam hoc jus, hanc facultatem habere eo certius esse, quod hæc facultas ab ipso Christo, qui Ecclesiam fundavit, ipsi concessa sit, divino sic munita sigillo, quod violare sane et summis imperantibus nefas fuerit. Ex hac divinitus data facultate effluere jura sacrorum collegialia et specialia toti Ecclesiæ competentia, et in tota Ecclesia radicaliter residentia, quæ proinde exerceri à magistratu politico non possint de jure, nisi ex consensu vel præsumpto vel tacito Ecclesiæ. Ecclesiam vero et posse partem jurium suorum in Principes transferre, et hoc ut faceret necesse etiam fuisse, ex quo numerus Christianorum ita excrevit, ut per totam civitatem diffussus, jam cætus ad horum jurium administrationem commode sati concurrere haud potuerit. Ceterum jura ipsa nihil minus manere radicabiliter penes Ecclesiam, eaque adeo juxta indolem Ecclesiæ, secundum jus divinum, Ecclesia et ipsa, quantum fieri potest, in partes vocata, ad salutem et ædificationem ejusdem exerceri et administrari debere: quos limites si migrant summi Principes, nihil impedit, quo minus revocare jura, quæ commisit, Ecclesia recte possit. Ita eruditus hic theologus in dissertatione de jure sacrorum absoluto et collegiali.

SCHOL. Quid commodi hæc jurium in absoluta et collegialia divisio rebus Protestantium adferre possit, ipse in fine dissertationis enarrat copiosius. Restabat, ut quæ jura sacrorum sint *absoluta* et *majestatica*, quæ collegialia, dilucide exponeretur. Sed in his definendis variant scriptores Protestantium etiam novissimi, quod facile appareat, si quis Moshemium, Pertchium, Floerkium, Wiesenhaverum, Georg. Lud. Bohmerum

conferre volet. Conf. Grebner in Germ. sacr. art: 4. pag. 70. seqq.

§. CXIV.

Fundamentum juris circa sacra ex sententia Catholicorum.

Non ii sumus nos, qui, quod objici Ecclesiæ nostræ frequenter solet, alienam penitus ab imperio civili curam sacrorum existimemus, (§. CIX. seqq.) aut iis Majestatem juribus privare conemur, quæ illi hanc ipsam ob curam competere necesse est: (§. CXI.) quam criminacionem (licet enim hoc nomine compellare) refellunt satis egregie multorum de hoc argumento lucubrations. Disceptationi obnoxia inter nos sunt eadem, de quibus aut magis inter se Protestantes consentiunt. Capita disceptationis duo sunt præcipua: unum de fundamento juris circa sacra; alterum de hujus *limitibus*. De posteriore deinde exponetur. Fundamentum protestantis circa sacra, sunt è nostris pauci quidam, maxime theologi, qui in privilegio querunt à Præsulibus ecclesiarum summis Principibus concesso propter insignia multorum in rem christianam merita. Nam hi quum pro certo reciperent exploratoque, nullas esse omnino Regum ac Principum in iis rebus dirigendis partes, quæ ullo modo religionem spectant; atque ob id ad injuriā Ecclesiæ illiberalē servitutem pertinere existimarent, si quæ olim à piissimis Imperatoribus gesta historia sacra tradidit memoriae, *jure proprio* non ex mera Pontificum *indulgentia* acta fuisse statuamus; primum fuit eo delabi, ut illa omnia indulgente ac connivente prudenter Ecclesia gesta esse crederent. Quæ quidem conniventia usu tot sæculorum firmata vim nacta sit *privilegii*, quo tuti Principes Christiani multarum rerum potestate sibi non injuste vindicent, quam

usurpare, remoto privilegio, sine summo scelere nequeant. Non audeo damnare usum talium privilegiorum, inquit Suarez (1), sed hoc apostolicæ Sedi renitto. Nam etiam Card. Bellarminus cap. 35. contra Barclajum, quum ille diceret esse in Gallia quædam delicta gravia, quæ privilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici privilegiata, quia privilegio Sedis apostolicæ indulsum est Regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut illam non improbat Julius Clarus et Aufrerius, quos allegat.

SCHOL. Quod de privilegiatis in Gallia delictis hic Suarez ex Bellarmino docet, id quidem falsum est. *Delictis privilegiata crimina vocari in Gallia*, ait Barclajus in vindiciis, de quibus clerici apud regios Judices accusari Papa indulxit. Nihil minus. Neque ullam invenies sanctionem, qua id privilegii in clericos Regibus rebusque publicis Papa concesserit: ut facile judices, non id ordinariæ jurisdictionis Regibus à Papa tributum, qui olim utebantur omni in clericos potestate; sed ipsorum voluntate servatum, qui de suo jure, quod libuit, remiserunt, quod libuit, tenuerunt. Sed et nuper doctissimus Milletotus eleganti illo tractatu, quem scripsit De delicto communi et casu privilegiato, rite ostendit, privilegia clericorum orta à Regibus; ideoque crimina, ob quæ accusantur in foro civili, vocanda proprie delicta communia, quia communi jure de illis cognoscit Magistratus; quæ vero ad Episcopum remittuntur, privilegiata esse dicenda, scilicet quia Regum privilegio indulgetur Episcopis, ut de iis casibus cognoscant et judicent.

(1) Lib. 4. defens. fid. cap. 34. n. 29. alias 31.

§. CXV.

Est ipsum sumnum imperium.

Sed horum quidem jam dudum explosa sententia est. Norum enim sapientiores civilium jurium magistri, jura Principum circa sacra omnibus communia (nam de juri speciali titulo quæsitis hic non agimus) si quas sunt, ea non posse aliunde, quam ex fine civilis societatis hujusque regendæ officio derivati. Cujusmodi jura, quum imperio civitatis contineantur, manifestum est, jura circa sacra ad Majestatem referri oportere; eaque proinde non commentatio cuidam Sedis apostolicæ privilegio, sed fundamento inniti divinitus constituto. Quod, ut omnibus est summis Principibus commune, ita nulla vi humana convelli potest. (§. CX. seqq.) *Theodosius* in litteris ad Cyrillum Alexandrinum datis, quarum testimonium hoc nobis gravius esse debet, quod oecumenici concilii judicio probatae sint, et in acta relatæ, non aliam juris sui rationem producebat, quam imperii vim à Deo sibi commissam. *Nostræ constitutio Reipublicæ* ea, quæ in Deum est, pietate nititur, ait (1), multaque inter hanc et illam cognatio et confederatio intercedit. Nam et se mutuo complectuntur, et utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem ut vera religio justa actione, ita Respublica utriusque ope nixa florescit. Quum itaque Deus imperii habens nobis tradiderit; iisque, qui imperio nostro parent, pietatis et securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit: harum inter se societatem, providentiae et hominibus medios nos præbentes, indivulsam perpetuo conservare contendimus; pietatique opitulamur ad Reipublicæ incrementum.

SCHOL. I. Vedit hoc, ut fere omnia, Illustrissimus

(1) Concil. Ephes. part. 1. cap. 19.

de Marca in opere immortalis de concordia sacerdotum et imperii lib. 3. cap. 9. §. 8. Ceterum, scribit, etsi formulæ pragmaticorum satisficerimus, privilegiorum mentione injecta, sincerior mihi videtur hæc respondendi ratio, si mero jure regio in certis articulis, in aliis vero jure patrocinii et tuitionis Principes ad se quam plurima olim traxisse dicamus, quæ à summis Pontificibus perstricta non sunt; ab illis deinde aliquanto tempore cessasse, quum novis decretis sunt vetita: quorum cognitionem iterum resumpserint ad procurandam regnorum suorum ipsiusque ecclesiæ gallicanæ salutem; hanc vero possessionem sine ulla interpellatione summi Pontificis retinuerint ab aliquot sæculis, hodieque retineant. Quæ conniventia Sedis apostolicæ id maxime præstat, ut bona fide Principes in eo negotio tractando versentur, quod ad se pertinere non improbabili ratione putant: ita ut patientia illa, si necesse sit, vicem privilegii et dispensationis subeat, etiam si in singulis speciebus privilegium exhiberi non possit.

SCHOL. II. Quo jacto potestatis circa sacra fundamento, carere jam possumus illa quorumdam inutili sollicitudine, qua se torquent misere, ut ex Sedis apostolicæ diuturna conniventia præscriptionem sequi legitimam evincant, quæ Principes jura sua longo tempore nemine interpellante exercita tueantur: imperii enim majestate tuti colore studiose quæsito non egent. Similiter autem nihil proficiunt illi, qui jura summis Principibus imperii potestate debita, et his conniventibus aut etiam insciis, à sæculis aliquot partim à Sede apostolica partim ab Episcopis vindicata, præscriptione immemorali Ecclesiæ quæsita ingenti quidem studio contendunt, verum nihil apud eos profuturo, qui rectiora juris civilis principia edocti probe sciunt jura Majestati propria humanis præscriptionum institutis haudquam subjacere.

§. CXVI.

Ex quo fluit primum jus determinandi adiaphora.

Omnis autem Principum Christianorum circa sacra potestas triplici potissimum jure continetur. Atque primum quidem jure ea, quæ neque naturali ratione neque revelatione certam formam habent, atque adeo ad Religionis christianæ substantiam non pertinent, ad eum modum determinandi, quem pax et salus civitatis necessario exigit. Nam quæ sunt ejusmodi, hæc tamquam ad religionem Christi arbitraria, utro modo determinentur, ad salutem Christianorum internam nihil refert, permultum autem sæpe, si civilem felicitatem spectes. Atque hoc jam supra dedimus probatum, in rebus disciplinæ constituendis eum oportere servari modum, ut nihil decernatur civili populorum saluti contrarium. (§. XLI.) Cujus rei judicium quoniam ejus est dumtaxat, qui supremam in Republica potestatem obtinet: (§. CVII.) confectum est, in potestate Ecclesiæ non esse, arbitrariis ejus generis ritibus aliam formam tribuere, quam quæ cum salute civitatis amice conspirat; esse vero in potestate summi Principis non pati, si attentetur quidpiam, quod sit cum hujs detrimento conjunctum. Nam quæ, amabo, vel lex est, vel fingi necessitas potest, ut ritum urgeat Ecclesia cum publica utilitate pugnantem, dum salva fidelium beatitate aut abesse is omnino potest, aut ad eam formam inflecti, quæ ex æquo utrique et Ecclesiæ et Reipublicæ consultum est? Cœlestis civitas, inquit S. Augustinus, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans, quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur; nihil eorum rescindens